



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis; Illvstrivm
Miracvlorvm Libri II**

Petrus <Cluny, Abt>

Coloniae, 1611

VII. Quomodo dæmones aqua benedicta fugati sint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64969)

pro voluntate esse, respondit. Toto illo die cum subsequenti nocte postea superuixit, sequenti circa sextam in pace vitam finiuit: bonam spem salutis suæ & exemplum veræ poenitentiaë nobis derelinquens.

*Quomodo damones aqua benedicta
fugati sint.*

CAPVT VII.

QVIA verò in serie huius miraculi narraui, aquæ more ecclesiastico benedictæ asperzione, demones causa latentis peccati minimè effugatos: ad rem pertinere videtur, quid de eadem re in eodem Celsinienfi monasterio contigerit, in medium proferre. Venerat ad eundem locum infirmitate carnis urgente laicus quidam, & vt fieri solet monachico habitu à fratribus indutus, seculo renuntiauerat. Faciunt hoc multi etiam in extremis constituti, qui licet eorum quos nulla corporis molestia ad hoc impellit, laudem minimè consequi videantur: numero tamen monachorum si ex corde conuertantur, ante æterni iudicis oculos nullo modo excluduntur. Et quamuis maioribus meritis maius debeat & præmium:

*Monachicum
habitum
in extremis
suscipere non
est vituperabile.*

mium: nummum certè quem à prima hora diei in vinea domini laborantes meruerunt, ad vndecimam quoque venientes acceperunt. Nec enim præiudicat modus conuersionis deuotioni cordis: nec queritur apud Deum qua ex causa quisque conuersus, sed post conuersionem qualiter fuerit conuersatus. Sed nec quantitas diuturni vel parui temporis attenditur, vbi solus finis operum remuneratur. Susceptus ergò hoc modo iam dictus vir, & ad domum infirmorum delatus, per aliquot dies inter vitæ mortisq; confinia laborabat. Nocte itaque obitus sui diem præcedente, in lecto iacebat, & velut morte iam proximus à duobus famulis per vices sibi succedentibus custodiebatur. Et quoniam subsequens narrandi ratio eorum nomina proferri cogit, vnus ex his Stephanus, alter Oliuus dicebatur. Illa igitur noctis vigilia qua iam à nominato Stephano asservabatur, eundem sibi inuigilantem famulum æger ille vocauit. Qui cum ei astans quid sibi vellet quæsisset, qui sunt (inquit) rustici isti deformes & rostrati, quos huc confluere & paulatim totam hanc domum implere video? Ad quod cum famulus respondisset: Neminem in domo illa ha-

beri, se tantum cum socio ei excubare,
 admirans ille adiecit? Non cernis ait, te-
 tros homines omne iam huius domus
 spatium compleuisse, quorum horrenda
 species & rostris longissimis facies exacu-
 ta, terrorem mihi non paruum impor-
 tant? Tunc demum famulus intellexit
 (vt saepe postmodum ipse mihi narra-
 uit) non hominum, sed malignorum
 spirituum hanc esse frequentiam. Vnde
 alta voce socium Oliuum, vt surgeret
 inclamans, vas quod fortè cum aqua be-
 nedicta in proximo dependebat, fide
 plenus arripit, & sanctificatum elemen-
 tum hac illucque confidenter aspergens,
 omnia illius habitaculi loca infundit.
 Hoc dum faceret, clamare ille fortiter
 cœpit. Eia (inquit) eia, fac quod facis: in-
 sta, perurge aduersarios, quoniam ecce
 velut à facie gladij fugientes summa cū
 celeritate exire contendunt; & quia mo-
 ras patiuntur, in alterutrum impingen-
 tes, primos hi qui sequuntur, violenter
 impellunt. Quo ille audito, instare acri-
 ter, & aqua benedictionis, filios maledi-
 ctionis à domo excludere contendebat.
 Quibus penitus (ægro qui hoc solus cer-
 nebat testificante) exclusis, & ille à dæ-
 monum infestatione liberatus est, &

quar-

quantum ad similia valeat salutaris aque cum fide aspersio, demonstratum est. Die verò subsequuta, fratribus huius visionis relatione lætificatis, in bona confessione nouus ille monachus obiit, & in illa donum fuga susceptam à Deo conuersionis suæ deuotionem omnibus persuasit.

*De Gerardo pura & simplicis vitæ
monacho.*

CAPVT VIII.

IAM incidenter, sed necessariò his interpositis, ad proposita me reuer- ti assumpta principaliter materies cogit. Vnde illa quæ de magnifico & supercoelesti Christi corporis sacramento miracula adhuc dicenda sunt, ultra differenda non sunt. Frater quidam cum honore nominandus, cum dulcedine recolendus Gerardus nomine, magni illius Cluniacensis monasterij, magnus & ipse vitæ merito monachus fuit. Hic à pueritia in clericali habitu ad pedes memorandi sancti patris Hugonis educatus, virtutum eius
ima-